



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. De pœnis corporalibus, & in primis de pœna capitali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

liberetur etiam ab obligatione naturali alendi pauperis heretici pauperis. Et tandem resoluit posse negare alimenta patri, præterquam in casu extremæ necessitatis: quia magis tenetur pater ad alendum filium, quam filius ad alendum patrem: & tamen pater negare potest alimenta filio heretico, cum possit eum etiam exheredare, ut constat ex Authent. *Ut cum de appellatione cognoscitur*, §. *causas*, versic. *si quis de predictis*. Hoc tamen nimis durum mihi videtur, & in primis id quod supponit magis strictè debet à parente alimenta filius, quàm à filiis debeantur parentibus: negatur communiter à Theologis cum S. Thoma 2. 2. *quest. 26. artic. 9.* quos affert, & sequitur Azor *tom. 2. lib. 2. capite 2. quest. 16.* Deinde aliud est exheredare, aliud non alere indigentem; nam filius spurius non potest à patre hæres institui, & tamen potest, & debet pater ei alimenta necessaria subministrare, ut dixi *tom. 2. de Iustitia disput. 24. sect. 7. num. 120.* Melius ergo Azor *dicto lib. 2. capit. 3. quest. 2. proposita questione*, an filius in vniuersum debeat parentibus egenis alimenta præstare: Respondet, debere etiam si pater sit paganus, à fide, & religione Christi alienus, hereticus, vel Indæus: item tamen si pater sit anathemati subiectus. Hoc enim est magis iuxta pietatem naturalem, & debitum & à natura in-

possunt apud Farinacium *de hæresi. quest. 178.* 193. & 196. & in aliis locis.

Dug tamen fatenda sunt. Primum est, Ecclesiam non statim à primo initio hanc totam potestatem in hereticos exercuisse, sed tentasse prius omnia alia remedia, faciliora, ut hereticos corrigeret, & Principes ipsos, ac imperatores Christianos incepisse ab aliis leuioribus penis, reuocari, multæ pecuniarum, confiscationis bonorum, ac denique experientia edoctos ad vltimum supplicium peruenisse. Quia in re difficultatem sentit Augustinus, & dubitauit aliquando, non quidem circa potestatem; sed an expediret hoc rigore procedere contra hereticos licet postea experientia ipse etiam edoctus fallus fuerit necessitate compunere tamen suo, & iuxta regulas pietatis de Charitatis Christianæ sapius deprecabatur iudices, & magistratus laicos, ut abstinerent eo supplicio, & parcerent hereticis. Quo pacto conciliantur plura, & varia Augustini loca, quæ late congerit, & bene ponderat Hurtado & explicat in *presenti disp. 86. sect. 11.* Alia verò argumenta hereticorum videri possunt apud Bellarminum ubi supra & apud Suarez in *presenti disp. 13. sect. 1. à num. 8.*

Secundò fatemur, hanc potestatem, licet principaliter in Ecclesia eiusque ministris residere, decentius tamen, & conuenientius exsecutioni mandari per iudices, & magistratus laicos ad quos licet non spectet cognoscere, & iudicare de ipsa hæresi, (hoc enim spectat ad Ecclesiam, cuius est examinare fidei doctrinam, & quæ ei opponi possunt) postquam tamen Ecclesia iudicat, & damnat hereticum, eumque tradit seculari curiæ: ut iuxta leges contra ipsum procedat: tunc Iudex laicus ex consensu Ecclesiæ damnat eundem hereticum vltimo supplicio, & sententiam hanc exsecutioni mandat: quod magis congruit personis Ecclesiasticis, quorum manus, & linguæ à sanguine humano, quantum fieri possit, remotæ esse debent, solidumque declarant criminis gravitatem, cætera iudici laico permittere, ut ipse proinde iure ad sententiam procedat. Si tamen Iudex laicus vellet processum examinare, ut cognosceret de crimine, an sufficienter esset probatum, & tergiversaretur in sententia ferenda contra hereticum; possent inquisitores iudicem per censuras compellere, ut debito modo suo munere fungatur, imò & inquietare contra illum, ut suspectum, quod sit hereticorum fautor, ut docent communiter doctores, quos refert Diana 4. *parte tract. 8. de officio, & potestate inquisitor. resol. 26. & resol. 52.* ubi etiam notat, inquisitores non incurtere irregularitatem tradendo hereticum Curie seculari, non solum propter protestationem, qua à iudice petunt, ne ad sententiam mortis, vel mutilationis procedat, sed etiam propter declarationes Pauli IV. & Pij V. qui quatenus opus erat, dispensarunt cum inquisitoribus, eorumque vicariis, Commissariis, & Consuloribus, ne fierent irregulares, quantumcumque ad hereticorum condemnationem concurrerent. Quæ declaratio facta primum 29. Aprilis anno 1557. pro votum, & sententiam suam dicentibus in Congregatione Romana coram summo Pontifice, extensa postea à Pio V. ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios, Commissarios, & Consulores, refertur ab eodem Diana in fine dictæ 4. partis inter decreta, & constitutiones Pontifici

SECTIO II.

De penis corporalibus, & in primis de pœna capitali.

36 **H**æc questio magna ex parte pertinet ad controuersitas, ex parte verò ad forum iudiciale. Ad controuersitas spectat quatenus aduersus hereticos id negantes probant ex professo, esse in Ecclesia potestatem ad puniendos hereticos vltimo supplicio, de quo ultra alios videri possunt Cardin. Bellarminus *lib. 3. de laicis cap. 21. & 22.* & Valentia in *presenti disput. 1. quest. 11. punct. 3.* Et quidem potestas hæc constat ex Extravaganti *Vnam sanctam*, de maiori- tate, & obedientia, & ex cap. *Ad Apostolica*, de sententia, & re iudicata in 6. & cap. 1. de homicidio in 6. Et probari etiam potest ex scriptura, in qua falsi prophetae, & inobedientes iudicio sacerdotis in controuersiis fidei iuebantur interfici *Deuteronomio 13. 17. & 18.* & Principes laudantur, qui eas pœnas exquebantur, 3. *Regum. 18.* & 4. *Regum. 10. & 23.* & alibi sæpe. Non est autem credibile hanc potestatem datam à Christo non esse suæ Ecclesiæ, quæ ad eius bonam gubernationem necessaria erat, & sine qua constat experientia hereticos non posse corrigi, & coerceri. Et quidem mirum est, ab iis hereticis negari hanc Ecclesiæ potestatem, qui ad falsam suam sectam non solum bonorum proscriptio- ne, sed ferro & igne, & cruciatibus innumeris Catholicos compellere conantur. Ratio denique est manifesta, quia respublica habet potestatem ab puniendos subditos pœna condigna iuxta delicti gravitatem: Hæresis autem grauitas adeo excedit super alia crimina capitalia, ut respectu illius non sit iudicanda grauis hæc pœna: idcoque Principes etiam seculares eandem pœnam hereticis imposuerunt. l. *quicumque* & l. *Ariani* Cod. de hereticis, & in aliis iuribus, quæ videri

Pontificum ad tribunal sancti officij spectantes.

39 Non tamen omnes hæretici hac pœna afficiuntur, sed aliqui: primò illi, qui obstinati in hæresi reduci nolunt ad fidem Catholicam: hi enim omnium pessimi, & supplicio dignissimi sunt, & ideo viui comburuntur; quæ pœna habetur in lege quadam Federici Imperatoris, quam ex directorio affert Suarez *diff. 2. §. 2. numer. 1. & 4.* & dicit, hanc legem acceptam fuisse ab Ecclesia, & vltu seruata. Maxima tamen cura, & diuturna adhibetur antea ad eorum conuersionem, introductis ad Reum hoc sine vitis doctis, & pijs, qui cum eo disputent, eumque reducere conentur. Quod si obstinatus perseueret, profertur sententia, & traditur Curie seculari.

40 Dubitatur, an condonari possit iis mortis pœna, si conuerterentur etiam post latam sententiam. Multi negant, quos affert, & sequuntur Suarez *ubi supra numer. 16.* & Castro Palao *dicto tract. 4. cap. 6. punct. 2. numer. 19.* licet id in casu raro, & quo veræ pœnitentiæ maxima essent indicia, fieri concedant. Quam tamen sententiam nimis rigidam esse, & seueram dicit Hurtado *diff. 8. §. 2. §. 21.* Nam licet in *e. ad abolendam*, de hæreticis præcipiatur, vt hæreticus tradatur curie seculari, nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidem Catholicam unitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis, publicè concesserit abinurare. Cæterum in cap. *Excommunicamus* 2. eodem titulo benignius loquitur Gregorius IX. his verbis: *si qui autem de prædictis, postquam deprehensi fuerint, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrahantur.* Quod idem Auctor confirmat ex eo, quod Inquisitores in Actibus generalibus deputant aliquem Theologum, qui concionem habeat ad hæreticos damnatos, vt respiciant, antequam tradantur Curie seculari. Addere etiam posset, eisdem hæreticis obstinatis tota illa die Theologos ab Inquisitoribus associari, qui eorum reductionem procurent. Hæc solum probant ea fieri, vt anima salua fiat per pœnitentiam, non vt Reus à pœna corporibus post sententiam liberetur.

41 Ego distinguerem, vt si hæreticus respiscat, antequam sententia legatur in publico foro, vbi actio illa solemniter celebrari solet, vel in Ecclesia ad id deputata, & antequam reus tradatur Curie seculari, recipiatur ad pœnitentiam, etiam si iam in tribunali secreto sententia prolata sit, & Reo etiam intimata: atque ita credo in praxi fieri: & vt ego aliquando Hispani hæreticum obstinatissimum iam iam curie seculari tradendum, in ipso publico theatro respicientem reductum ad carcerem. Postquam verò curie seculari traditus est, monetur quidem vsque ad mortem ipsam à Confessariis ad pœnitentiam: sed tamen licet conuertatur, non ideo mortem euadit, sed strangulatur, & postea comburitur. Huic autem doctrinæ consentire etiam videntur Penna, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao *ubi supra numer. 20.* Considerandum tamen esse conuersionem, ne sit ficta ad fugiendam pœnam mortis iam instantis, monent omnes: & quidem ego non consulerem Reum extra carcerem, & custodiam tutissimam postea teneri: capiant enim occasionem euadendi, & redeundi ad hæresim in loco tuto, & vidi aliquem pœnitentiam

tunc petentem, & doceri circa res fidei, quas dicebat se ex ignorantia negasse, qui cum ad hanc finem in religiosorum conuentum ab inquisitoribus coniectus esset, non multò post fuga arrepta, ostendit se non ex animo fuisse conuersum; eiusmodi ergo homines in perpetuo carcerem custodiendi sunt, quod & ad custodiam corporis, & ad animæ salutem remedium optimum est; Sed quid ex instructionibus inquisitionis Hispanæ obseruari debeat, videri potest apud Dianam, *parte 4. tract. 7. de pœnis delictorum &c. resolut. 24.*

Ad hanc impœnitentium classem reducuntur, & comburuntur etiam, prius tamen suffocantur hæretici, qui de suo crimine testibus, vel alijs plenè probationibus plenè conuicti, illud tamen negant; & profitentur se semper Catholicos fuisse, eandemque fidem Catholicam in corde habere. Hi tamen in foro externo reputantur impœnitentes, quia cum constet de eorum hæresi, & nolint pœnitentiam, & absolutionem ab Ecclesia petere, præsumuntur adhuc in sua hæresi perseuerare, & ideo curie seculari traduntur. An verò confessarius possit illum iam interficiendum absolueri in foro conscientie, si inueniat in eo foro illum innocentem, & quid si inueniat delictum fuisse verum, diximus *diff. præcedenti sect. 3.* Non ergo prodest illi in foro externo, quod fidem Catholicam profiteatur, & vniuersas hæreses damnet: quia sicut mentitur negans hæresim, de qua manifestè conuincitur, præsumitur etiam mentiri, dum se profiteatur Catholicum, præsertim cum oblatam pœnitentiam, & absolutionem nolit petere. Cautissimè tamen in hac condemnatione procedere debent Iudices examinando diligenter testes sapienter, & varijs interrogationibus vigendo: inquirendo item diligenter de testium qualitate, an bonæ conscientie, & famæ sint, an inimicitias cum reo habuerint, & alia similia, quæ tradit instructio quædam inquisitionis Hispanæ, quam refert Diana *4. part. tract. 7. de pœnis delictorum, &c. resolut. 25.*

Dubitatur primò, An sit censendus negatiuus & vltimo supplicio afficiendus, qui dicit, *Ego non memini, me hæresim vnquam dixisse: si tamen dux negatiuus sunt contra me testes: ego sto illorum testimonio.* Negant Gregorius Lopez, quem affert, & sequitur Hurtado *dicta diff. 8. §. 2. §. 3.* quia non potest testibus conuinci, quod recorderet hæresim præteritam, & satis censetur confiteri, dum se testium subiicit attestationi. In contrarium tamen esse videtur doctrina communis dicens obliuionem non præsumi, saltem circa ardua, & atrocia, etiam post longum tempus, & idem esse circa solita, & consuetæ, licet ardua non sint, & in istis, quæ semper delinquentes comitantur, quod tradunt communiter Doctores, quos affert, & sequuntur Castro Palao *ubi supra dicto punct. 2. n. 4.* & Diana *dicta resolut. 25.* Hi autem Doctores agunt de obliuione in ordine ad excusandum hæreticum negatiuum; nimirum an qui negat simpliciter hæresim à se prolata, excusari possit ob præsumptam obliuionem: in casu autem proposito est diuersa quæstio: nempe an censetur negare hæresim, qui dicit se non recordari, subdicere tamè se testimonio testium: in quo casu placet mihi sententia Gregorij Lopez; nam qui dicit se stare testimonio testium, non negat, imò confitetur delictum: fatetur

42 Ad impœnitentium classem reducuntur qui plenè sunt conuicti de hæresi criminè; illud tamen negant.

43 An sit censendus negatiuus & vltimo supplicio afficiendus, qui dicit, *Ego non memini, me hæresim vnquam dixisse: si tamen dux negatiuus sunt contra me testes: ego sto illorum testimonio.* Negant Gregorius Lopez, quem affert, & sequitur Hurtado *dicta diff. 8. §. 2. §. 3.* quia non potest testibus conuinci, quod recorderet hæresim præteritam, & satis censetur confiteri, dum se testium subiicit attestationi.

fatur enim se credere testibus, & propter eorum testimonium credere se ita deliquisse, quamvis autem non dicat, se id scire ab interfecto, iam tamen fatur se id credere, quod sufficit, ut non sit negatiuus: ille enim solus est negatiuus simpliciter & absolute, qui negat se fuisse hæreticum.

44
An puniendus sit hæreticus, qui se hæreticum negat, quia si hæreticus negat, non potest esse hæreticus, nisi ex confessione.

Secundò circa hoc ipsum dubitatur, an puniendus sit hac pœna, qui fatur aliquas hæreses, negat verò alias, vel alias, de quibus etiam per testes conuincitur, quæ vocari solet confessio diminuta. Affirmant omnes, quia quoad hæresim negatam præsumitur impœnitens: ita Suarez ubi supra num. 6. Castro Palao numer. 5. qui alios plures afferunt. Aduertendum tamen est, multò facilius præsumi obliuionem in hoc, quàm in negante omnia: vnde necesse in primis est, quòd diminutio plenè probetur, item quòd diminutio considerabilis sit, & non modica, qualis non est, si solum non confiteatur omne delicti tempus; quia non est verisimile, quòd qui delictum suum ingenuè confitetur, partem temporis, quæ circumstantia momenti est, scienter neget: debet ergo esse diminutio maxima, & clarissimè probata, ut propter illam solum reus curiæ seculari tradatur, ut notant Doctores de hoc puncto scribentes, quorum verba congerit Diana dicta resolut. 25.

45
An ut diminutus tradendus sit curiæ seculari, qui negat complices.

Tertio dubitatur de confitente suis hæreses, negante tamen complices, an ut diminutus sit tradendus curiæ seculari. Affirmant plures, quos sequitur Suarez dicto num. 6. qui dicit, ita in praxi seruari, & pluribus relatis Castro Palao dicto numer. 5. qui tamen fatur, contrarium in praxi inquisitionis Hispaniæ obseruari: quam praxim ego etiam credo, quia illam etiam testantur alij quos affert Diana dicta resolut. 25. in fine dicentes, diminutionem confessionis circa complices, omitendo hunc, vel illum, nisi sit magister, pertinere ad minorem diminutionem, & ideo talem diminutum confitentem non relaxari curiæ seculari.

46
An is qui confessionem reuocat.

Quartò dubitatur de eo, qui postquam in iudicio confessus est suos errores, confessionem reuocat, an sit tradendus curiæ, tanquam hæreticus negatiuus. Affirmat Castro Palao ubi supra num. 6. quia præsumitur impœnitens, nisi causam afferat verisimilem reuocandi, & infirmandi priorem confessionem. Rationem autem reddit, quia ex propria confessione, iam delictum est plenè probatum: cum verò postea reuocat, præsumitur reuocare dolosè, ad effugiendam pœnam ordinariam. Et rursus, quia si facta hac reuocatione non posset, ut negatiuus condemnari, nullo modo puniendus esset, cum neque etiam puniri posset, ut hæreticus pœnitens, qui nulla pœnitentiæ signa ostendit, sed negat peccatum: quare datur occasio hæreticis reuocandi suas confessiones ad effugiendam pœnam ordinariam.

47

Distinguendum videtur: nam si reus aliunde testibus, vel alia plena probatione conuictus est de crimine, quod fuerat confessus, & postea constanter negat, habendus erit pro negatiuo, & curiæ seculari tradendus, quia iam nunc præsumitur impœnitens, cum ante reconciliationem cum Ecclesia obtentam, pœnitentiam respuat, nec confessio prior eum iuuat, à qua per reuocationem desistit. Si verò aliunde non est conuictus, nec crimen nisi ex ipsius confessione facta in tortura constet, non est pœna negatiui punien-

das: & in hoc casu admitto sententiam Cantuariæ apud eundem Castro Palao ibi, qui dicit, non esse vltimū supplicio afficiendum, ut negatiuum, qui priorem criminis confessionem reuocat. Ratio autem est, quia ille traditur curiæ seculari, ut impœnitens, qui hæresim propriam negat, de qua aliunde plena probatione constat: in hoc autem casu non constat iam plenè de crimine, cum non constet, nisi ex confessione ipsius, quæ confessio per reuocationem eliditur. Ad hoc enim confessio in tortura facta post 24. horas ratificatur, quia si tunc reuocetur, infirmatur, & amittit momentum fidei, quam faciebat. Si verò confessio fuit facta sine tortura etiam imminente, reuocatio parum proderit, nec impedit probationem plenam ex confessione resulantem, nisi reus doceat de errore, in confessione facta. Et in hoc casu videtur loqui Castro Palao, atque etiam Farinacius, quem ibi pro sua sententia affert. De quo videri etiam possunt Auctores quos affert Diana parte 4. tract. 7. de penis delictorum, &c. resolut. 22.

Quintò dubitari potest de eo, qui crimen externum confitetur, negat verò intentionem internam, an sit puniendus ut hæreticus negatiuus. Omissis variis sententiis Doctorum, quos congerit Diana 4. part. tract. 7. de penis delictorum, &c. resolut. 34. & Castro Palao dicto tract. 4. dist. 3. punct. 2. num. 17. qui tamen non satis clare id explicat, distinguendum est. Vel enim reus aliunde conuictus est de factis, aut verbis externis, quæ sint in se verè, & propriè hæreticalia, vel non, nisi ex propria confessione, aliunde conuictus est, & ipse etiam fateatur, sed neget intentionem hæreticam, imò dicat se interius non præbuisse assensum doctrinæ, quam verba, vel facta externa significabant, credo hunc perseverantem in hac negatione damnandum ut hæreticum negatiuum. Quia si ipse negaret etiam actus externos damnaretur ut talis: tunc autem non magis constaret de eius hæresi interna, quàm in hoc alio sensus nunquam enim conuincitur immediate per testes de hæresi interna, sed solum de externa, de qua etiam conuictus est per testes in casu nostro: quæ ergo conuictus est de hæresi interna per testes in utroque casu, cum æquè per testes conuictus sit in utroque casu de hæresi externa, ex cuius sola probatione censetur conuictus de interna. Si ergo internam negat, iudicabitur negatiuus, cum neget hæresim internam, quando de illa conuictus est per testes, quantum de illa conuincitur potest. Alioquin nullus posset puniri ut hæreticus negatiuus, quia omnes possent confiteri actus externos, de quibus conuincuntur, & negare intentionem internam.

Si verò non constet de actibus illis externis, ni ex delinquentis confessione, qui tamen intentionem internam negat, non videtur puniendus ut hæreticus negatiuus. Quia ut dixi rom. 2. de Iustit. disp. 37. sect. 12. num. 146. confessio delinquentis fatentis se occidisse Petrum, sed in istam sui defensionem, quando delictum aliunde non probatur, sufficit quidem ad pœnam extraordinariam, non tamen ad ordinariam. Quamvis enim magis credatur Reo contra se, quam pro se dicenti in foro externo: illud tamen homicidium non constat tunc, nisi ex confessione ipsius delinquentis, qui non fatur actum externum solum, sed cum talibus circumstantiis excusantibus atque ideo manet debilitata quantulum.

quantulum confessio actus exteri ad probandam plenè malitiam homicidii: similiter ergo in casu nostro, cum hæresis non probetur nisi ex confessione delinquentis, quæ tamen in ipsa confessione excludit hæresim internam: non manet confessio cum tota sua vi ad probandam plenè hæresim internam. Cæterum si cum illa confessione delinquentis concurrerent aliæ probationes, quæ se solis non sufficerent, sed cum illa confessione sufficerent ad plenè probandam hæresim internam: tunc indicari posset hæreticus negatius, cum convictus plenè de intentione hæretica cum adhuc obstinaret negaret.

50. Secunda classis hæreticorum, qui curiæ seculari in lori traduntur, & plectuntur ultimo supplicio, continet relapsos in hæresim, & constat ex cap. *Accusatus*, & cap. *super eo* de hæret. in sexto & ex lege Federici Imperatoris, quæ incipit, *Commisiss*, quæ refertur in fine directorii: & ex cap. *Ad abolendam*, §. *illos quoque*: extra de hæreticis ubi dicitur: *illos quoque, qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprii Antistitis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiurationem hæresim reincidisse, seculari iudicio, sine ulla penitus audientia decernimus relinquendos.*

Quid si sponte compareat & se accusent. Dubitatur primò quid si non sint deprehensi, nec accusati, sed ipsi sponte compareant, & se accusent? Communiter Doctores dicunt, misericorditer cum hoc agendum, quod colligunt ex illo verbo, *deprehensi fuerint*; quasi secus dicendum sit de non deprehensis, sed se se manifestantibus: relapsus enim traditur curiæ seculari, quia præsumitur incorrigibilis, & sicte conuictus: qui autem sponte comparet, penitentiam, & correctionem desiderat: ita Penna, & alij, quos affert Castro Palao dicto tract. 4. disp. 6. puncto 2. num. 7. Imò Menochius ibi adductus id extendit ad eum, qui caprus fuit, postea verò facitur hæresim, de qua in processu non constabat. Aduertunt tamen, caute considerandum esse, an hæreticus omnino sponte veniat, an metu accusationis, & probationum imminuentium, quas intellexit contra se iam præparari: hic enim difficilior dimitendus erit: notant autem aliqui, quando delictum non est occultum, præsumi frequenter non ex pietate, sed ex dolo hæreticum comparere.

51. Secundò dubitatur de eo, qui in primo lapsu sponte comparuit, & abiurauit, & in secundo lapsu deprehenditur à iudice per testes, an sit tradendus curiæ seculari. Respondeo, de rigore iuris damnandum esse, quia verè iam deprehenditur in relapsu. Temperatur autem hic rigor cum illis, qui ante pubertatem prima vice abiurarunt; iuxta instructionem inquisitionis Hispanæ, quam refert Castro Palao ubi supra.

Tertiò dubitatur, an relapsus quoad hanc penam incurramus. Tunc dicatur, qui non in eandem primam hæresim, sed in alias postea incidit. Multi negant, quos affert Suarez ubi supra num. 8. qui eam probabiliorē putat, quia in dicto cap. *Accusatus*, ponitur illa conditio, *si postea peccauit in ipsa* & in §. 1. additur, *si posteaquam hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit*: quod non verificatur, quando specialiter vnā aliam solam hæresim abiurauit. Alij tamen putant, illum indicari, vt relapsum, quos refert Suarez ubi supra, & dicit esse satis probabile: quam sententiam sequuntur plures alij, quos refert, & sequitur Castro Palao dicto puncto 2.

n. 13. & Hurtado dicta disp. 86. §. 24. Quia omnes hæretici conueniunt in vna & eadem hæresi, nempe in neganda Ecclesiæ auctoritate, à qua per quamlibet hæresim recedunt: in hæc autem hæresim eandem semper relabuntur, quamuis circa alium etiam articulum errent.

Hæc controuersia hodie non multum refert, cum iam hodie abiuratio generalis fiat omnium hæresum, & non solum illius, de qua abiurans accusatus fuerat: quare in quacumque postea incidat labitur in hæresim abiuratam, idque ex omnium sententia sufficit, vt damnetur tanquam relapsus, & constat ex textu in dicto cap. *Accusatur*, §. *cum verò* ubi dicitur, *cum verò, qui in vna hæresis specie, vel secta commisit, aut in vno fidei articulo, seu Ecclesiæ sacramento errauit, & postmodum hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit, si ex tunc in aliam hæresis speciem, sine sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, volumus, vt relapsus in hæresim indicari.* Quapropter nunc abiurans cogitur generaliter omnes hæreses abiurare, ne sit locus dubitationi, si postea in aliam hæresim relabatur. Si tamen abiuratio non esset generalis, sed peculiaris de illo primo errore, & postea in alium errorem incidisset, credo, illum iuxta canones non fore puniendum pena relapsi. Id enim clare videtur colligi ex relatis verbis textus in dicto §. *cum verò* ubi, vt is dicatur relapsus, exigitur, quod hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauerit hoc est, non vnā, vel alteram sed hæresim in communi, vel omnes omnino hæreses. Sciebat autem optimè Pontifex, omnes hæreticos errare in neganda Ecclesiæ auctoritate eam tamen putauit esse rationem, quasi genericam hæresis, sub qua continentur aliæ species diuersæ, secundum diuersitatem errorum, quibus ab Ecclesiā recedunt, & ideo subiunxit, *si ex tunc in aliam hæresis speciem, sine sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat.* Nam quidquid sit, an illæ duæ hæreses differant specie in ordine ad confessionem, & ad malitiam, de quo dictum est in superioribus; differunt tamen specie, vel quasi specie in ordine ad considerationem, & examen eorum, qui tractant de dignoscendis, & distinguendis singulis hæreticorum sectis, & erroribus, & in eo saltem sensu supponit Pontifex esse plures hæresum species, & posse aliquem relabi in eandem, vel in diuersam hæresim in specie: non uult autem puniri vt relapsum, qui relabatur in diuersam, nisi præcessisset abiuratio omnium hæresum: supponit ergo posse aliquem non relabi in eandem, sed in diuersam; quia nimirum conuenientia illa generica in auctoritate Ecclesiæ negata non tollit, quod possit vna hæresis esse diuersa ab alia in sensu vulgari.

53. Ex eodem tamen textu colligitur duplex limitatio. Prima est, si aliquis non probata prima hæresi, sed quia vehementer suspectus erat, coactus est abiurare, etiam abiuratione generali, & postea incidat in diuersam hæresim, non puniri vt relapsum, quia ad hoc requiritur, non solum, quod suspectus fuerit, sed quod reuera lapsus antea fuerit in aliam hæresim, & abiurauerit generaliter. Ita colligitur ex dicto cap. *Accusatus*, in principio, inuncto §. *cum verò*: nam loquendo de eo, qui propter suspensionem vehementem abiurauit, dicit cenceri debere quadam iuris fictione relapsum, *si postea committit in ipsa.* Loquendo

quando verò de eo, qui incidit postea in diuer-
tam hæresim, exigit, non quòd vt suspectus de
alia abiurauerit, sed quòd in *vna* hæresis specie,
vel articulo commiserit, & errauerit, & postea
generaliter abiurauerit. Secunda limitatio est,
non sufficere, si post vnā hæresim se ab illa
purgauit, sed si abiurauit; abiurationem enim &
non purgationem præcedentem exigit textus vt
quis incidens in aliam hæresim dicatur relapsus,
vt cum aliis notat Castro Palao dicto puncto 2.
num. 13. si tamen relaberetur in eandem hære-
sim, sufficeret præcessisse purgationem ab illa, vt
clare colligitur ex caput. super eo, de hæreticis
in 6.

54. Quatò dubitatur de eo cuius hæresis prima
vice probata omnino non fuerat, sed tamen pro-
pter vehementem suspicionem abiurauit, & po-
stea incidit in eandem, an sit puniendus, & iudi-
candus, vt relapsus. Iam diximus, si postea non
incidat in eandem, sed in aliam, non puniri vt re-
lapsus. Ille verò qui postea incidit in eandem, iudi-
catur iuris fictione relapsus, vt ostendimus ex
verbis textus in dicto c. *Accusatus* in principio,
vbi tamen subiungitur, ad hoc non sufficere, si
prius ob leuem solum suspicionem abiurauerat,
quamuis hic etiam si in eandem hæresim incidat
sit grauius puniendus non tamen ultimo relap-
sorum supplicio.

55. Petes, quid dicendum, si postquam ob leuem
suspicionem abiurauit, incidit in eandem hære-
sim, & postea plenè probatur, & constat, ante abi-
urationem etiam lapsus fuisse? Respondeo puni-
endum vt relapsus, Quod etiam dicunt Squil-
lacenſis, & Sanctarellus, quos affert, & sequitur
Diana parte 4. tract. 8. de offic. & potest. inquisi-
t. resolut. 30. Probari autem potest ex dicto caput.
Accusatus, §. *ille quoque*, vbi dicitur: *ille quoque*,
de cuius lapsu ante abiurationem confiterat, vel
nunc constat: si post illam hæreticos receperit, &c.
merito debet iudicari relapsus. Vbi relapsus iudi-
catur, qui post abiurationem recipit hæreti-
cos, vel illis fauet, & hoc licet ante abiurationem
non confiterit de lapsu, si tamen nunc iam con-
stet de lapsu ante abiurationem. Si ergo sufficit
ad pœnas relapsi, quòd primo lapsu ante abi-
urationem posito, constet post abiurationem, (id
enim significant verba illa; *vel nunc constat*) &
hoc etiam si secundus lapsus non constet, nisi ex
suspensione vehementi propter fauorem hæreticis
exhibitu: à fortiori quando secundus post abi-
urationem lapsus constat clarè, dicitur relapsus,
licet de primo lapsu non constiterit plenè ante
abiurationem, si tamen nunc iam de illo plenè
constat. Vnde obiter colligo, idem propter ean-
dem rationem dicendum de eo, qui ob suspicio-
nem de vna hæresi abiurauit generaliter omnes
hæreses, & postea in aliam relabatur; & iam nunc
constat plenè de primo ante abiurationem lap-
su in illam aliam hæresim: hic enim etiam iudi-
cabitur relapsus propter eandem rationem, quia
nimirum sufficit, quod constet eum abiurasse post
lapsum, & post abiurationem in eandem hære-
sim incidisse, vel etiam in aliam, si abiuratio fue-
rat generalis.

56. Quintò dubitatur de eo, qui propter suspicio-
nem vehementem abiurauit, & postea denuò co-
gitur abiurare propter nouam vehementem su-
spicionem. Respondeo, eum non puniri vt rela-
psus, quia id solum deceditur de eo, qui post-
quam abiurauit de vehementi, labitur in eandem

hæresim, non de eo, qui suspectus solum redditur
de secundo lapsu. Atque ita declarasse Pium V.
anno 1567. refert Imbertus Locutus, quem affert
Diana dicta resolut. 30. vbi cum aliis refert, non
esse relapsus, qui tanquam fautor hæreticorum
hæresim abiurauit, si post abiurationem iterum
illis faueat. Vbi etiam notat, non esse relapsus,
qui post purgationem relabatur in hæresim, si
purgatio imposita fuerat ob leuem suspicionem
de hæresi. Quod colligi videtur ex dicto cap. *Ac-
cusatus*, in principio. Secus autem dicendum pu-
tat, si purgatio imposita fuerat ob vehementem
suspicionem, quod tamen iuxta supra dicta in-
telligendum est, si post purgationem incideat in
eandem hæresim: nam purgatio non est de omni-
bus, sed de illa hæresi particulari, de qua fuerat
suspectus.

Sextò dubitatur de eo, qui post primum lap-
sum, & abiurationem ideo factam, redditur ve-
hementer suspectus de secundo lapsu, an sit puni-
endus vt relapsus? Hic casus videtur potest ex-
presse decisus in dicto cap. *Accusatus*, §. *ille quoque*:
vbi Pontifex videtur eum declarare relapsum
his verbis: *Ille quoque, de cuius lapsu in hæresim*
ante abiurationem confiterat, vel nunc constat: si
post illam hæreticos receperit, deducat, visitet, sine
*associet, aut dona, vel munera eis donet, vel mi-
rat, seu fauorem eis impendat, qui excusari non*
*possit, etiam sine adoratione, (vt verbis vestris tra-
mur) merito debet iudicari relapsus: cum illum ex*
approbati a se prius erroris consequentia non sit
ambiguum id fecisse. Vbi vehementer suspicio ex fauore
hæreticis exhibito sufficit ad iudicandum relap-
sum eum, qui post primum lapsum hæresim
abiurauerat.

Ceterum multi, & graues Doctores negant
vehementem suspicionem post abiurationem ad
id sufficere. Pro hac sententia quam ipse etiam
amplectitur, afferuntur à Diana parte 4. tract. 7.
de panis delict. & resolut. 26. Roias Sanctarellus,
Trevisanus & Suarez in *presenti* disp. 24. sect. 2.
num. 7. & eam sententiam seruati in praxi ab in-
quisitoribus Lusitanie testatur Soula in *Aphe-
ris* inquisit. lib. 2. cap. 45. num. 3. & de eadem
praxi in Italia testatur Farinacius quest. 195. de
hæresi, §. 1. n. 18. Sed tamen Sanchez, Farinacius,
& alij. non ita generaliter tradunt eam regulam,
sed excipiunt casum, quando post lapsum, & abi-
urationem fauet hæreticis, quo casu expresse
deciditur relapsus, vt vidimus in dicto c. *ille quoque*.
Quo casu vt relapsus puniri, docet etiam
Hurtado in *presenti* dicta disp. 86. §. 26. con-
currentibus tamen illis conditionibus in textu
indicatis: nimirum, quod de primo lapsu con-
stet, non solum ex suspensione etiam vehementi,
& quod fautor non fuerit necessitate vigente ex-
hibitus.

Alij tamen vniuersaliter dicunt, sufficere ve-
hementem suspicionem vnde cumque oriatur, vt
iudicetur relapsus: ita Alfonso à Castro Meno-
chius, Zanchinus, & alij, quos affert, & sequitur
Castro Palao dicto puncto 2. num. 9. & ita in casu
occurrente seruatum fuisse à supremo consilio
inquisitionis refert Cantero in quest. crimin. cap.
1. de hæreticis, num. 58. Et mihi magis placet hæc
sententia, quam tamen aliqui probant à simili,
quia abiurans ex vehementi præsumptione, si
postea in eandem hæresim labatur, iudicatur re-
lapsus, vt vidimus, & constat ex eodem cap. *Ac-
cusatus*, in principio: ergo è contra si lapsus præ-
cessit.

cessit abiurationem, & postea subsequatur vehemens suspicio de relapsu in eandem hæresim æstimabitur relapsus; parum enim refert, quod suspicio vehemens sequatur, vel præcedat, cum in utroque casu æquè concurrant vnus lapsus certus, & vnus vehementer præsumptus, & abiuratio media inter vtrumque. Hoc tamen argumento non vtor, quia in penalibus non est semper argumentum firmum à patetate rationis, vt pœna extendatur ab vno casu ad alium. Cum ergo in primo casu Pontifex fateatur, illum non esse relapsum, nisi fitione iuris; hinc videtur potius colligi, quod vbi iusdem non fingat, non inuenitur relapsus puniendus.

60 Magis ergo moueor verbis Pontificis in dicto §. *ille quoque*, vbi Pontifex declarat relapsum eum, qui post lapsum, & abiurationem fauet hæreticis, qui fauor non est relapsus clarus, sed solum præsumptus ex vehementi suspitione. Nec videtur satisfacere, quod aliqui dicunt, id decretum fuisse pro illo solo casu, quo suspicio vehemens subsequens fundatur in fauore hæreticis præfatis; atque adeo non esse extendendum ad omnes alios casus suspitionis vehementis subsequentis. Hoc, inquam, non satisfacit, quia Pontifex non dixit, se id pro eo casu statuere, sed dixit, ad ita iudicandum, quia in iis circumstantiis sufficienter constabat de relapsu. Merito, inquit, *debet iudicari relapsus, cum illum ex approbati à se erroris conscientia non sit dubium id fecisse*. Sæpe ergo lapsus præcedens abiurationem, & præsumptio ex fauore postea hæreticis dato, reddant omnino certum relapsum in errorem pristinum, consequens est, vt quoties post lapsum, & abiurationem consequatur alia æquiualens suspicio, de eodem errore retento, æquè etiam certus sit relapsus, atque ideo æquè tanquam relapsus iudicandus, & puniendus erit. Et in hoc sensu valet optimè argumentum à patetate rationis, quia si ideo solum declaratur ille relapsus in casu fauoris hæreticis dati, quia ea præsumptio certè persuadet relapsum: ergo quoties datur æqualis præsumptio, vnde cumque ea proueniat, debet æquè certè æstimari relapsus, atque adeo debet vt talis iudicari, & puniri.

61 Dices, vrgere adhuc contra nos argumentum paulò ante desumptum ex principio eiusdem capituli: quia non nisi iuris fitione dicitur relapsus, qui ex vehementi præsumptione abiurat, & postea incidit in eandem hæresim, ergo nec in nostro casu, quando lapsus præcedit abiurationem, & vehemens suspicio consequitur, relapsus erit, nisi fitione iuris: non ergo ex natura rei, vt ita dicam, sed ex legis decreto relapsus erit, quæ lex cum solum loquatur de casu fauoris hæreticis dati, non erit extendenda ad alios casus.

Respondeo negando primam consequentiam, in quo multum disto à sensu Suarj, qui dicto num. 7. in fine dicit, esse differentiam inter vtrumque casum, & magis probari relapsum quando suspicio vehemens præcedit abiurationem, quam quando subsequitur. Ego quidem credo esse differentiam inter illos duos casus, quia potius magis probatur relapsus, quando suspicio vehemens consequitur abiurationem post lapsum, quam quando eam antecedit. Quam differentiam colligere possumus in primis ex ipsis verbis Pontificis, qui loquens prius de eo, qui post suspensionem, & abiurationem labitur, solum dicit esse iudican-

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

dum relapsum quadam fitione iuris. Postea vero loquens de eo, qui post lapsum, & abiurationem sit suspectus, ob fauorem hæreticis datum, non dicit esse iudicandum relapsum fitione iuris, sed meritò esse iudicandum relapsum, cum non sit dubium eum fauorem hæreticis datum esse ob errorem pristinum adhuc retentum. Agnouit ergo Pontifex differentiam inter vtrumque casum, ita vt suspicio adeo vehemens consequens abiurationem magis ex natura rei probet relapsum, quam quando abiurationem præcedit.

Ratio verò à priori huius differentie assignari potest, quia licet in vtroque casu relapsus sit præsumptus, est tamen fortior præsumptio in secundo casu, quam in primo. Nam quando suspicio præcedit abiurationem, cum reus esset adhuc in possessione boni nominis circa fidem non præsumitur hæreticus, nisi probetur, quia praua, let possessio. Nec ex eo quòd post abiurationem subsequatur lapsus, probatur etiam clarè lapsus ante abiurationem, licet sit magna præsumptio propter suspensionem præcedentem. In secundo autem casu, quando lapsus constat ante abiurationem, possessio stat pro hæresi, quare actus post abiurationem consequenti fortius probant perseuerantiam hæresis, pro qua stat possessio, de qua certò constat, & ideo Pontifex meritò iudicabit præsumptionem eo casu esse iuris, & talem, vt nisi contrarium probetur, ille meritò debeat iudicari relapsus. Ad quod deferuire potest, quod notauit Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 8. num. 17. quando aliquis antea furiosus erat, præsumi actum gestum in furore, nisi contrarium probetur, secus verò si antea sanæ mentis fuerat. Hæc ergo potuit esse ratio discriminis inter illos duos casus, vt in secundo sine vlla iuris fitione relapsus declaratur.

Obiici etiam solet ex cap. *litteras*, de præsumptionibus, vbi qui confessus hæresim abiurauerat, postea suspectus redditur, propter reuocatum confessionem, qua fratrem etiam suum hæreticum falsus fuerat, non tamen condemnatur vt relapsus. Ad hoc tamen bene respondet Castro Palao vbi supra num. 10. non constare ex illo textu, quod ante reuocationem, & suspensionem illam præcesserit abiuratio, quæ tamen necessaria est, vt aliquis relapsus dicatur.

63 Addit tamen idem Auctor num. 11. eum qui lapsus in hæresim abiurauit, & postea fauet hæreticis, iudicari relapsum, etiam si faueat alteri sectæ ab ea, quam abiurauit. Contrarium tamen dicunt Alfonso de Castro Menochius, Simancas, & Azor ab eodem relati, & quidem meritò. Ad hominem verò in primis probari potest, quia ipse Castro Palao, num. 9. & 10. pares dixerat esse illos duos casus de suspitione antecedente, vel subsequente abiurationem: cum ergo non dicatur relapsus, qui post abiurationem ex suspitione vehementi factam labitur, nisi in eandem hæresim relabatur, vt colligitur ex dicto cap. *Accusatus*, in principio, & fateatur idem Auctor postea num. 13. non debuit dicere relapsum eum, qui post lapsum, & abiurationem sit suspectus de alia diuersa hæresi propter fauorem hæresis alterius sectæ exhibitam. Ratio denique est, quia licet abiuratio post primum lapsum fuerit generalis de omni hæresi, atque ideo si postea incidat in quamlibet aliam iudicetur relapsus; ad hoc tamen non sufficit secundus relapsus præsumptus, sed clarus, & certus.

MMm Quod

Quod enim sufficiat secundus lapsus in quamlibet aliam hæresim, ut iudicetur relapsus, habetur solum ex decreto Pontificis, id ita liberè statuente, ut constet ex verbis eiusdem in dicto cap. *Accusatus §. cum vero: ubi dicitur: si ex tunc* (nempe post abiurationem generalem) *in aliam hæresim speciem suæ sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, volumus, ut relapsus in hæsim indicari.* Illa ergo extensio noua ad reincidentes in aliam hæresim non est extendenda ad relapsum præsumptum, sed strictè intelligenda de eo, quem constat in aliam hæresim postea incidisse, qualis non est fautor hæreticorum, qui solum præsumptionem habet contra se, imò præsumptio illa debilior est, quando fauet hæreticis alterius sectæ, cum non ita facile possit præsumi id facere ex affectu ad errorem à se abiuratum, qui diuersus erat, & huic errori fortasse contrarius.

Aduerte denique cum Suariorum *dicta disput. 24. sect. 5. num. 7.* non esse relapsum, qui post abiuratum hæresim fauet damnato non de hæresi, sed ut suspecto vehementer de hæresi, quia ille non est fautor hæreticorum, quare nec incurrit censuras impositas fautoribus hæreticorum, ut cum alijs docuerat idem Suarez *disput. 21. de censur. sect. 2. n. 14.*

64 Vltima classis eorum, qui Curie seculari traduntur, est hæresiarcharum, & dogmatizantium, de quibus tamen dubium est, an si pœnitentiam ostendant ad reconciliationem sine admittendi. *Hæresiarcha* dicitur hæresis inuentor, quamvis aliquando hoc nomen latius vsurpetur, & extendatur ad magistros erroris, ut in capit. *qui eliorum 24. q. 3.* *Dogmatista* autem dicitur, qui alios errorem docet; oportet tamen, ut non id faciat quomodocumque, sed quasi ex officio vel consuetudine discipulos instruas, ut cum alijs notat Suarez in *presenti disput. 23. sect. 2. num. 1. &* hoc siue publice, siue occultè id munus exerceat. Vtrosque posse, & debere ad reconciliationem admitti docent plures, Eymericus, & Penna apud Suarium *ibi num. 9.* quibus adde Decianum, & Canteram, quos affert, & sequitur Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 6. punct. 2. num. 17.* Quia in iure Canonico, cui, & non legibus civilibus in hac materia standum est, non inuenitur his negata reconciliatio, sed potius omnibus generaliter concessa, si pœnitentiam ostendant, ut fit in cap. *ad abolendam*, de hæreticis, ubi tam docentes, quam sentientes admittendos statuitur, & eadem regula generalis desumitur ex cap. *ut officium*, de hæreticis in 6. & idem ex Concilio Bituricensi, & Tarracoenensi ostendit Penna in direct. 2. parte comment. 64. verò, *an autem*, Praxis etiam Ecclesie id suadet; sic enim receptus fuit ad pœnitentiam Berengarius in cap. *Ego Berengarius*, de consecrat. dist. 2. qui tamen fuerat hæresiarcha. Imò addit Cantera in quæst. crimin. rubr. de hæreticis c. 1. p. 70. verò *est nunc videndum*: impletum fuisse breue speciale sedis Apostolicæ, ut traderetur curie seculari in Hispania pessimus quidam dogmatista dictus Cazalla, aliter non tradendus.

65 Alij plures dicunt, eos omnes etiam si pœnitentiam ostendant, tradendos esse curie seculari: ita Simancas, Roias, Repertor, inquisitorum, quos affert Castro Palao *ubi supra num. 16.* Suarez *dicta sect. 2. num. 9.* & idem ferè docent

Lorca, & Soula apud Dianam parte 4. *tratt. 7. de penis delict. &c. resolut. 23.* & acriter, ac rigide idem tenet Hurtado *dicta disp. 86. sect. 2. §. 15. & sequentiibus* dicens nullum ex his dimitti debere, nisi quando aliquis minister ex provincia hæretica, se recipit in Catholicam fidem. Imò nec dimittendum eum, qui vel semel de concione hæresim docet, & qui arrepto manere docendi, hæresim dicit, eam probans argumentis, & Catholicas rationes dissoluens, licet vni duntaxat id dicat, vel etiam qui non more magistri, multis tamen persuadere conetur, quibus non minus nocere potuit, quam si more magistri id fecisset, quem dicit auiditate hæresim persuadendi censuræ dogmatistam & curie seculari tradendum.

Fundamenta huius sententiæ sunt primò, quia ita statutum est in multis legibus civilibus, *enim qui seruum*, Cod. de Apostatis, *Quintusque*, Cod. de hæreticis l. vltima C. de Iodæis l. 2. Cod. ne sacrum baptisma, quibus standum est, quoties in iure Canonico contrarium non habetur: solet enim in penis imponendis ius Canonicum per leges civiles suppleri. Secundo quia regula generalis iuris Canonici de admittendis hæreticis pœnitentibus, intelligi debet de hæreticis simplicibus, non de qualificatis, & à communi modo exorbitantibus: nam hæresiarcha, & dogmatista est pluriquam hæreticus, & hostis Ecclesie. Addit Hurtado *num. 17.* regulam communem Ecclesie in his non habere locum, quia hi non dant signa veræ pœnitentiæ, nec credi vnquam possunt veri pœnitentes sed ficti: quare regula vniuersalis de huiusmodi hæreticis non loquitur.

Ego in hac sententiarum varietate credo, dominos inquisitores communiter debere procedere iuxta vsum sui tribunalis, qui in his rebus multum valere solet. Puto item non posse vnā regulam generalem præscribi, sed totum id pendere ex varijs circumstantijs particularibus, personæ, erroris, occasionis etiam, & pœnitendi, & alijs, quas iudicum prudentia considerare debet, sicut & gravitatem maiorem, vel minorem delicti, an multum intulerit nocuenti, vel scandalum, ut si Regem, vel provinciam, aut civitatem pervertisset: fructum etiam, quem eius pœnitentia diuturna afferre potest. In particulari autem Doctores aliqua in praxi notare solent.

Primò eiusmodi homines, licet vltimo supplicio non afficiantur, plectendos tamen esse gravissimis pœnitentijs, ut Ecclesie satisfiant, & ut propter criminis proprii gravitatem agnoscant, & ut probari possit veritas conversionis, ut monuit Pontifex in dicto cap. *ut officium*: de hæreticis in 6. Vnde secundo notant, perpetuo, ac stricto carceri mancipandos, ubi occasionem non habeant alios iterum pervertendi, sed potius redeundi ad eor, si fortè non adhuc serio redeunt, & sciunt se omni spe liberationis carere, ut facilius vera conversione cogitent. Et quidem ego non confulerem eos etiam post longum tempus libertate extant exempla in hoc genere miserabilia simulata conversionis per longum tempus, ut recepta libertate ad vomitum redeant, & peiora sint novissima hominum illorum. Tertiò non credendos, nec condonandum eis vltimum supplicium, quando non nisi morte iam instante convertuntur: est enim vehementissima præsumptio quòd solum ad vitam protrahenda, & redemptionem

tionem singant: si tamen certo eis persuadeatur quod etiam conuertantur, debent interici, & adhuc conuerti serio uolunt, possent facilius credi, & probata hac uoluntate per aliquos dies quibus se ad pie moriendum preparent, posset mors in perpetuum, ut diximus, carcerem commutari. Quarto non esse in horum numero computandos parentes, qui filios suos heresim docent, amicum etiam, vel socium, qui sociis, vel amicis eadem occurrente occasione, suggerit, & his similes, qui non sunt proprie dogmatista, cum id muneris non quasi ex officio sed priuatum faciant. Quinto eum, qui preceptis, premiis, minis, vel aliis ex quicquid modis heresim aliis persuadere conatur, vel qui Principes, Reges, vel alios eiusmodi peruertere tentauit, non esse nisi in rarissimo casu ad reconciliationem admittendum propter grauitatem criminis adeo qualificati, & in tantam Ecclesie perniciem vergentes, & propter aliorum exemplum. Hec & alia apud predictos doctores facile inuenies.

69 Ad hos reduci possunt heretici mortui, quorum memoria aliquando damnatur, & traduntur iudici seculari, à quo eorum ossa, si ab aliis discerni possunt, & statim comburuntur. Nam licet alia dilicta morte delinquentis extinguantur, id tamen fallit in crimine heresis ex l. *Maieftatis*, §. 2. uel. in mortem. Cod. de hereticis: & ex dicto cap. *Accusatus* §. in eorum, de hereticis in c. 6. & cap. finali 24. q. 3. c. si quis *Episcopus*, extra de hereticis, & alibi: sicut etiam Reus læsæ Maieftatis humane post mortem damnari potest ex l. ultima Cod. ad leg. Iuliam Maieftatis.

Ad hoc quid requiritur. Requiritur autem ad hoc primum, ut constet, in heresi decessisse, si enim solum probetur suspensus, non potest ut hereticus damnari, & alia crimina præter heresim morte extinguuntur. Unde nec damnanda est eius memoria, si ante mortem signa contritionis exhibuit, & ob temporis angustias non potuit iudicialiter absolui, ut constat ex c. a nobis secundo de sententia, excomm. & colligitur ex cap. filij de hereticis in 6. & probatur cum aliis Castro Palao dicto tract. 4. dist. 8. puncto 16. §. 6. num. 15.

70 Secundo requiritur, quod heresis clarissime probetur, vel per propriam confessionem sine penitentia, vel si in carcere custoditus ob heresim se se sponte interfecit. quod æquiualeat propriæ confessioni, & probatur, & quod uoluit hereticus mori, ut fatentur communiter doctores, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao ubi supra num. 3. Diana parte 4. tract. 7. de penis delictorum, & c. resolut. 28.

Tertio requiritur, quod citentur filij, & heredes defunctorum, quorum interest siue ad honorem, siue ad bona, ne defunctus damnetur, qui possunt per se, vel per procuratorem etiam comparere, ut illum defendant: & illis danda est copia indiciorum, & accusationum: non tamen hi possunt illum defendere, qui in extremis consolationem ab hereticis postulauit, nisi uelint probare, non fuisse sui compotem quando id fecit, ut constat ex c. filij de hereticis in 6. Imò & quilibet è populo, qui uelit defunctum defendere, admittendus est, ut tradunt Doctores, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao, & Diana locis citatis.

Quanto tempore post mortem extinguatur ius procedendi contra defunctum, & quando eius bona sequestranda sint, atque etiam con-

Card. de Lugo de uirtute Fidei diuina.

hiscenda, licet ad tertium possessorem transierint, sicut etiam, vide apud eodem Doctores.

SECTIO III.

De aliis penis corporalibus, & temporalibus.

71 Heretici penitentes, qui non traduntur Curia seculari, solent aliis minoribus penis ab Inquisitoribus puniri. Prima est carceris, qui aliquando perpetuus est, & habetur in cap. excommunicamus 2. de hereticis, ubi dicitur: si quis autem de predictis, postquam fuerint deprehensi, redire uoluerint ad agendam penitentiam, in perpetuo carcere damnentur. Quia uero hereticus confessus suum errorem, antequam testium dicta ei publicentur, nondum uidetur perfecte deprehensus, non solet ad carcerem perpetuum condemnari, ut cum aliis, quos affert, notat Castro Palao dicto tract. 4. dist. 6. puncto 1. num. 1. & Diana parte 4. tract. de penis delicti. c. resolut. 24. in principio, apud quem Roias dicit, eum, qui in limine iudicii ante accusationem confitetur, ad carcerem temporalem eam habitu penitentiali pro breui tempore esse condemnandum: si uero post accusationem, agendam esse penitentiam, si denique post publicationem testium hereses confitetur, ad perpetuum carcerem esse damnandum; quia præsumitur quod metu probationum confitetur, & talis conuersio non caret suspitione, & in omnibus casibus predictis bona publicantur ita ille.

72 Aduerte primum hunc perpetuum carcerem posse ab Inquisitoribus ex causa mitigari, vel in aliam penam commutari, ex cap. ut commissi, versic. & illorum, de hereticis in 6. Hæc tamen facultas abbreviandi carceris tempus post sententiam in Hispania reseruata est Inquisitori generali ex privilegio Sedis Apostolicæ, ut testatur Castro Palao ubi supra num. 4. & alij, quos affert Diana ubi supra column. 2. Commutatur autem sæpe pena carceris in penam ad trimeses ad tempus: nobiles autem aut similes personæ detrudi solent ad tempus in aliquo Monasterio, ut testatur cum aliis idem Diana ibi.

Aduerte secundò hunc carcerem non debere esse talem, ex quo vita delinquentis abbrevietur, ut cum aliis notauit Castro Palao ubi supra num. 3. quod de abbreviatione notabili debet intelligi. Solet tamen post triennium dispensari cum condemnato ad carcerem perpetuum, vel in aliam penitentiam commutari. Si uero damnatus sit ad carcerem perpetuum irremissibilem, non nisi elapsis octo annis dispensari, ut ex aliis, quos affert, refert Castro Palao num. 4. cum aliquibus tamen cautè agendum, qui non sine periculo è carcere dimitti possunt, & tutior erit eorum salus, si in ipso carcere, & penitentia moriantur.

73 Aduerte tertio in aliquibus casibus non posse inquisitores non tradere Curia seculari eos, qui penitentiam petunt, quos determinauit Clemens VIII. in Bulla edita 3. Februarii anno 1603. Hi sunt missam celebrantes, vel confessiones audientes sine sacerdotio: negantes Trinitatem diuinam personarum; negantes diuinitatem Christi Domini, vel Christum conceptum esse de Spiritu

M M m 2 sancto